

Spiritu afflati Prophetæ locuti sunt, ideò, uti à Spiritu scripta, ingentem in se continent thesaurum. Et ne miremini, quòd in hac nominum enumeratione multas latentesque divitias sententiarum vobis me ostensurum pollicear. Neque enim vel syllaba, vel apiculus est in sacris Literis, in cujus profundò non sit grandis quispiam thesaurus. Idem pluribus in locis asserit D. Thomas Aquinas, ut Summ. Theologiæ part. 1. quæst. 1. art. 10. & in 2. lib. Sententiarum Distinct. 12. art. 2. ad 7. atque alibi: Omnium verò disertissimè in Quæstionibus de Potentiâ Dei, quæ habentur in ejus operum Tomò octavò; Ubi quæst. 4. art. 1. sic ait. *Aliud est (scilicet vitandum) ne aliquis ita scripturam ad unum sensum cogere velit, quòd alios sensus, qui in se veritatem continent, & possunt salvâ circumstantiâ literæ Scripturæ aptari, excludantur; hoc enim ad dignitatem divinæ Scripturæ pertinet, ut sub unâ literâ multos sensus contineat, ut sic & diversis intellectibus hominum conveniat, & unusquisque miretur, se in divinâ Scripturâ posse invenire veritatem, quam mente conceperit. Et per hoc etiam contra infideles faciliùs defendatur, dum si aliquid, quod quisque ex S. Scripturâ velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium ejus sensum possit haberi recursus. Unde non est incredibile, Moyse & aliis Scripturæ authoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quæ homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, & ea sub unâ literæ serie designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus authoris. Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus S. Scripturæ literæ aptentur, quæ Author non intelligit, non est dubium, quin Spiritus sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinæ Scripturæ. Unde omnis veritas, quæ salvâ literæ circumstantiâ potest divinæ Scripturæ aptari, est ejus sensus. Nec longè ab his abscedit Cautela, quam in aliorum scriptis interpretandis observandam docet clarissimus & doctissimus Philosophus pariter ac Theologus, atque utriusque hujus facultatis in Academiâ Duisburgensi Professor dignissimus, Joh. Claubergius in suâ Logic. Vet. & Nov. part. 3. cap. 7. quæst. 43. Ne verba alicujus orationis facile restringas, si latiore eis significationem profunda Authoris sapientia concedat, nec aliæ interpretandi leges abnuant. Qui canon, sic pergit, præcipuè locum habet in explicandis Eloquiis Dei; hujus enim, utpote summè sapientis, summèque boni, & potentis, & verba, & opera augusta potius, & ampla, quàm angusta & limitata animò sunt cogitanda.*

10. Quibus omnibus postremò adde, quòd in hunc nostrum Interpretem etiam quadrent Conditiones, quas in summò Controversiarum judice requirunt Theologi, quæque huic negotio non incongruè adaptari possunt. Hæ verò à quibusdam tres, ab aliis quatuor enumerantur. Prima est, *ut errare non possit, illudque liquidò constet.* Cùm enim omnia Theologiæ Dogmata indubitatæ debeant esse veritatis, hæcque non nisi ex interpretamentis extrui queant; cumque insuper nullum, quod Textui sacro, qui infallibiliter verus est,

est,